



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

60. De caelica admonitione Sergio in somnis factâ & Angelico ministerio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

204 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
dona populo exhibuisset domum abire, &c. Vide etiam
Cælium, lib. 12. cap. 16. Tantumdem Pontifici Christi
Vicario, Regibus æquiparando, imo Regum Patri de-
ferri voluit Pipinus. Superatis niuosarum Alpium aspe-
ritatibus, Romana mœnia secundò intrat Apostolicus He-
ros, priùs de eius instanti aduentu Sergio cælitùs certio-
re facto. Die quarta (ait Alcuinus) priusquam illo veniret
(Willibrordus) Beatisimus Apostolicus (Sergius) Angelico
in somnis response admonitus est ut illum cum summo ho-
nore susciperet, & quod multarum animarum esset illuminator
futurus, à Deoque electus, & ad hoc venisset ut summi abeo
Sacerdotij honorem susciperet, nihilq; è negandum esse quidquid
petiisset.

Vt hæc fusiūs explicitentur, quandoquidem ad acta San-
cti Willibrordi pertineant, sit,

DISSERTATIO LX.

De cælica admonitione Sergio in somnis facta,
& Angelico ministerio.

Pro horum intelligentia obseruandum i. Somnia
esse triplicis generis : Naturalia, Diabolica, Diui-
na. Naturalia, quæ oriuntur ex causa naturali in-
trinseca vel extrinseca. Diabolica, quæ mali
spiritus insidiosè dormientibus immittunt vel ad
turbationes animi creandas, ut libidinem, iram odium, de-
sperationem : vel ad occulorum aut futurorum significa-
tionem. Diuina sunt, quæ à Deo nobis suggeruntur, siue
immediatè, siue mediatè per Angelos bonos. Sergij diui-
num fuisse idque mediante Angelo, verba textus & euen-
tus docent.

Dices i, quomodo Sergius cognovit esse diuinum?
quomodo

quomodo potuit procedere ex somnio cum Scriptura dicat, *Somnia non obseruabis & ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, &c.* Respondetur ex eadem Scriptura Eccles. 34. *Nisi ab altissimo fuerit visitatio, ne dederis illis cor tuum, &c.* Ab altissimo illam visitationem (*Somnium*) fuisse, probe cognouit Sergius, vir coelestis Spiritus, discretionis spiritu plenus: & soler Deus quando somnium immittit, simul hominem certum reddere hoc somnium à se profectum & supernè immisum fuisse.

Dices 2. quid opus fuit mandato diuino pro Willibrordo ordinando? Iam à quinquennio ab eodem Sergio erat institutus Frisiæ Apostolus cum plena potestate: notissima erant eius pietas, industria, merita: commendationes Pipini vel solæ sufficiebant; plures sine talibus præuijs ad miniculis à Fontificibus ordinabantur. Quid ergo opus mandato Diuino? Respondetur, potuisse illa sufficete, tamen placuisse Deo præmittere admonitionem, ut iam non solum ab hominibus electus, sed & à Deo dignus iudicatus, à Deo electus crederetur, & hoc maiorem Authoritatem eius prædicationi, maiorem famam venerationemque ipsi conciliabat. Denique ne eis felicibus conatibus obsisterent, prosperumque cursum impedirent, qui obliquis oculis aspiciebant Ultraiecto Frisiæque imponi Episcopum, maximè ipsis non subiectum, quod post mortem S. Willibrordi ostenderunt Colonienses.

Obseruandum 2. Varia Angelorum homini gubernando, esse ministeria. *Nonne omnes inquit Apostolus, sunt administratorij spiritus in ministerium misi propter eos qui hereditatem capient salutis?* quasi dicat, sunt omnino: interrogatione enim vtuntur Hebrei quando rem ma-

DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
 gis stabilire & asseuerate volunt. Inter frequentissima ob-
 sequia sunt Ecclesiæ gubernatores à Deo destinatos pub-
 licare. Exempla in gestis Sanctorum sunt obvia. Vnum in
 S. Huberto, quantumuis prolixius, non possum non pro-
 ducere, tum quod eodem anno 696. acciderit secundum
 supputationem Ioannis Roberti; quamquam non nostram:
 tum quod ille S. Willibrordo fuerit semper familiarissi-
 mus. Verbotenus accipe hoc ex vita eiusdem Sancti per
 dictum Roberti ex antiquis monumentis vulgata: Quo
 (Huberto) Roma consistente, cum venerabilis Pontifex Sergius
 post matutinorum officiarum fatigatus somno sed edisset, circa ipsius diei
 obdormiebat auroram, quā Sacerdos Christi Lambertus propter ve-
 ritatis testimonium, per manum scelerati Dodonis, consecutus est
 martyrium. Et ecce Angelus Domini in visione ei aſſistens ait: At-
 tende diligenter & fidem verbis meis adhibe. Lambertus Tungro-
 rum Episcopus hac horā intra Sanctuarium Domini ab impijs effre-
 pietate immolatus. Propterea cum Sanctis in caelstibus meruit coro-
 nari. En, eius pastoralem baculum, à loco passionis tibi subito alla-
 tum, fuscipe. Et in hoc substitues ad regimen Tungrensis Ecclesia
 discipulum eius Hubertum nomine, quem ad Apostolorum limins
 deuotè venientem inuenies hodie. Statimq; Pontifex euigilans, cum
 de visione adhuc hesitaret, iuxta se sicuti ab Angelo suscepereat, B.
 Martyris baculum Pastoralem inuenit. Facta itaq; oratione &
 immolata hostia ad exequendum visionis præceptum circa limina Apo-
 stolorum studiosus perscrutator consedit. & forte vir Domini Hu-
 bertus in proximo Urbis vico mansionem acceperat peregrinus, qui
 statim deuotè ad diu desideratam B. Petri Apostoli accessit Eccle-
 siam. Quem ut Pontifex Sergius vidit, seicitatus est quis sit &
 quo nomine appellaretur. Cui Beatus Hubertus respondit: ego qui-
 dem Huberius vocor vestrae Sanctitatis famulus, statimq; Pontifex
 Sergius eum gratanter manibus recipiens, adduxit ipsum iuxta
 altare Principis Apostolorum eidem reuelans mortem dilecti Magi-

fri

stri sui Lamberti quemadmodum ab Angelo didicerat: cumq; eum Pontifex instanter moneret de susceptione regiminis Ecclesie Tun-
grensis, & B. Hubertus nullo modo consentiret, sed indignum se
affirmaret, ecce omnibus diuinis Pontificalibus B. Lamberti in-
duitar, quæ subito à loco Martyrii ab Angelis translata sunt ei.
Cumq; istis induit solo stola defuisse, statim stola serica alba auro-
que contexta Huberto per Angelum à B. Virgine Maria Ecclesie Tun-
grensis patrona est transmissa.

Attendere hic est diuinam dignationem, quā Sanctos
suos vocationis & electionis suæ publicatione dignatur.
Attendere est Sanctorum honorem quo à Diuina maie-
state sublimantur: inspicere est curiosa, sedula Angeloi-
rum diuinam dispensationem exequentia obsequia. Hos
cælestes nuntios ex supremis ordinibus fuisse, non impro-
babiliter dixero, quandoquidem ijs committantur supre-
marum rerum gubernatio, illuminatio, Ecclesiæ custodia,
ad quam non infimè spectat, rectores Ecclesijs destina-
tos manifestare, ijs assistere, ministrare. Sic vñus de Se-
raphim, qui supremus est ordo, missus ad Isaiam: Cheru-
bim, qui secundi ordinis est ad custodiendum paradi-
sum. Danielis 10. missus est Michael, quem multi do-
centesse primum Angelorum & custodem Ecclesiæ uti
olim fuit Synagogæ. Multi etiam censem eum qui dedit
legem Hebreis fuisse ex ordine Seraphim.

DISSER-